

# CORPUS IURIS CIVILIS



# AD LEGEM AQUILIAM

Romæ MMVII



**Questo documento è stato realizzato con la massima cura per lo studio avanzato nel campo del diritto canonico.**

*È importante ricordare tuttavia che nelle ricerche di maggiore importanza è sempre opportuno un accurato confronto preliminare con i testi originali.*

Nell'eventualità che troviate un errore siete pregati di segnalarlo con precisione inviando un messaggio alla seguente casella di posta elettronica: [email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info).

**This document has been realized with maximum care for the advanced study in canon law.**

*It is important to remember nevertheless that in the searches of great importance is always opportune an accurate comparison with the original texts.*

In the eventuality that a bug is found please sending precise message to the following e-mail: [email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info).

## II

### AD LEGEM AQUILIAM.

**1** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Lex Aquilia omnibus legibus, quae ante se de damno iniuria locutae sunt, derogavit, sive duodecim tabulis, sive alia quae fuit: quas leges nunc referre non **1** est necesse. Quae lex Aquilia plebiscitum est, cum eam Aquilius tribunus plebis a plebe rogaverit.

**2** “GAIUS libro septimo ad edictum provinciale” Lege Aquilia capite primo cavetur: ut qui servum servamve alienum alienamve quadrupedem vel pecudem iniuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi **1** fuit, tantum aes dare domino damnas esto: et infra deinde cavetur, ut adversus infitiantem in duplum **2** actio esset. Ut igitur apparet, servis nostris exaequat quadrupedes, quae pecudum numero sunt et gregatim habentur, veluti oves caprae boves equi muli asini. sed an sues pecudum appellatione continentur, quaeritur: et recte Labeoni placet contineri. sed canis inter pecudes non est. longe magis bestiae in eo numero non sunt, veluti ursi, leones pantherae. elefanti autem et cameli quasi mixti sunt (nam et iumentorum operam praestant, et natura eorum fera est) et ideo primo capite contineri eas oportet.

**3** “ULPIANUS libro octavo, decimo ad edictum” Si servus servave iniuria occisus occisave fuerit, lex Aquilia locum habet. iniuria occisum esse merito adicitur: non enim sufficit occisum, sed oportet iniuria id esse factum.

**4** “GAIUS libro septimo ad edictum provinciale” Itaque si servum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero: nam adversus periculum naturalis **1** ratio permittit se defendere. Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur: interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen aequae cum clamore testificetur.

**5** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Sed et si quemcumque alium ferro se petentem quis occiderit, non dubitabitur, quin lege Aquilia non teneatur. sin autem cum posse adprehendere, maluit occidere, magis est ut iniuria **1** fecisse videatur: ergo et Cornelia tenebitur. Iniuriam autem hic accipere nos oportet nou quemadmodum circa iniuriarum actionem contumeliam quandam, sed quod non iure factum est, hoc est contra ius, id est si culpa quis occiderit: et ideo interdum utraque actio concurrat et legis Aquiliae et iniuriarum, sed duae erunt aestimationes, alia damni, alia contumeliae. igitur iniuriam hic damnum accipiemus **2** culpa datum etiam ab eo, qui nocere noluit. Et ideo quaerimus, si furiosus damnum dederit, an legis Aquiliae actio sit? et Pegasus negavit: quae enim in eo culpa sit, cum suae mentis non sit? et hoc est verissimum. cessabit igitur Aquiliae actio, quemadmodum, si quadrupes damnum dederit, Aquilia cessat, aut si tegula ceciderit. sed et si infans damnum dederit, idem erit dicendum. quodsi inpubes id fecerit, Labeo ait, quia furti tenetur, teneri et Aquilia eum: et hoc puto verum, si sit iam iniuriae capax. **3** Si magister in disciplina vulneraverit servum vel occiderit, an Aquilia teneatur, quasi damnum iniuria dederit? et Iulianus scribit Aquilia teneri eum, qui eluscaverat discipulum in disciplina: multo magis igitur in occiso idem erit dicendum. proponitur autem apud eum species talis: sutor, inquit, puero discenti ingenuo filio familias, parum bene facienti quod demonstraverit, forma calcei cervicem percussit, ut oculus puero perfunderetur. dicit igitur Iulianus iniuriarum quidem actionem non competere, quia non faciendae iniuriae causa percusserit, sed monendi et docendi causa: an ex locato, dubitat, quia levis dumtaxat castigatio concessa est docenti: sed lege Aquilia posse agi non dubito:

**6** “PAULUS libro vicesimo secundo ad edictum” praeceptoris enim nimia saevitia culpa adsignatur.

**7** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Qua actione patrem consecuturum ait, quod minus ex operis filii sui propter vitiatum oculum sit habiturus, **1** et impendia, quae pro eius curatione fecerit. Occisum autem accipere debemus, sive gladio sive etiam fuste vel alio telo vel manibus (si forte strangulavit eum) vel calce petit vel capite vel qualiter qualiter. **2** Sed si quis plus iusto oneratus deiecerit onus et servum occiderit, Aquilia locum habet: fuit enim in ipsius arbitrio ita se non onerare. nam et si lapsus aliquis servum alienum onere presserit, Pegasus ait lege Aquilia eum teneri ita demum, si vel plus iusto se oneraverit vel negligentius per lubricum **3** transierit. Proinde si quis alterius impulsu damnum dederit, Proculus scribit neque eum qui impulit teneri, quia non occidit, neque eum qui impulsus est, quia damnum iniuria non dedit: secundum quod in **4** factum actio erit danda in eum qui impulit. Si quis in colluctatione vel in pancratio, vel pugiles dum inter se exercentur alius alium occiderit, si quidem in publico certamine alius alium occiderit, cessat Aquilia, quia gloriae causa et virtutis, non iniuriae gratia videtur damnum datum. hoc autem in servo non procedit, quoniam ingenui solent certare: in filio familias vulnerato procedit. plane si cedentem vulneravit, erit Aquiliae locus, aut si non in certamine servum occidit, nisi in domino committente hoc **5** factum sit: tunc enim Aquilia cessat.

Sed si quis servum aegrotum leviter percusserit et is obierit, recte Labeo dicit lege Aquilia eum teneri, quia aliud <sup>6</sup> alii mortiferum esse solet. Celsus autem multum interesse dicit, occiderit an mortis causam praestiterit, ut qui mortis causam praestitit, non Aquilia, sed in factum actione teneatur. unde adfert eum qui venenum pro medicamento dedit et ait causam, mortis praestitisse, quemadmodum eum qui furenti gladium porrexit: nam nec hunc lege Aquilia teneri, <sup>7</sup> sed in factum. Sed si quis de ponte aliquem praecipitavit, Celsus ait, sive ipso ictu perierit, aut continuo submersus est, aut lassatus vi fluminis victus perierit, lege Aquilia teneri quemadmodum si <sup>8</sup> quis puerum saxo inlississet. Proculus ait, si medicus servum imperite secuerit, vel ex locato vel ex lege Aquilia competere actionem.

**8** “GAIUS libro septimo ad edictum provinciale” idem iuris est, si medicamento perperam usus fuerit. sed et qui bene secuerit et dereliquit curationem, <sup>1</sup> securus non erit, sed culpa reus intellegitur. Mulionem quoque, si per imperitiam impetum mularum retinere non potuerit, si eae alienum hominem obriverint, vulgo dicitur culpa nomine teneri. idem dicitur et si propter infirmitatem sustinere mularum impetum non potuerit: nec videtur iniquum, si infirmitas culpa adnumeretur, cum affectare quisque non debeat, in quo vel intellegit vel intellegere debet infirmitatem suam alii periculosam futuram. idem iuris est in persona eius, qui impetum equi, quo vehebatur, propter imperitiam vel infirmitatem retinere non poterit.

**9** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Item si obstetrix medicamentum dederit et inde mulier perierit, Labeo distinguit, ut, si quidem suis manibus supposuit, videatur occidisse: sin vero dedit, ut sibi mulier offerret, in factum actionem dandam, quae sententia vera est: magis enim causam mortis praestitit <sup>1</sup> quam occidit. Si quis per vim vel suasum medicamentum alicui infundit vel ore vel clystere vel si eum unxit malo veneno, lege Aquilia eum teneri, quemadmodum obstetrix supponens tenetur. <sup>2</sup> Si quis hominem fame necaverit, in factum actione <sup>3</sup> teneri Neratius ait. Si servum meum equitanti concitato equo effeceris in flumen praecipitari atque ideo homo perierit, in factum esse dandam actionem Ofilius scribit: quemadmodum si servus meus ab alio <sup>4</sup> in insidias deductus, ab alio esset occisus. Sed si per lusum iaculantibus servus fuerit occisus, Aquiliae locus est: sed si cum alii in campo iacularentur, servus per eum locum transierit, Aquilia cessat, quia non debuit per campum iaculatorium iter intempestive facere. qui tamen data opera in eum iaculatus est, utique Aquilia tenebitur:

**10** “PAULUS libro vicesimo secundo ad edictum” nam lusus quoque noxius in culpa est.

**11** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Item Mela scribit, si, cum pila quidam luderent, vehementius quis pila percussa in tonsoris manus eam deiecerit et sic servi, quem tonsor habebat, gula sit praecisa adiecto cultello: in quocumque eorum culpa sit, eum lege Aquilia teneri. Proculus in tonsore esse culpam: et sane si ibi tondebat, ubi ex consuetudine ludebatur vel ubi transitus frequens erat, est quod ei imputetur:

quamvis nec illud male dicatur, si in loco periculoso sellam habenti tonsori <sup>1</sup> se quis commiserit, ipsum de se queri debere. Si alius tenuit, alius interemit, is qui tenuit, quasi <sup>2</sup> causam mortis praebuit, in factum actione tenetur. Sed si plures servum percusserint, utrum omnes quasi occiderit teneantur, videamus. et si quidem apparet, cuius ictu perierit, ille quasi occiderit tenetur: quod si non apparet, omnes quasi occiderint teneri Iulianus ait, et si cum uno agatur, ceteri non liberantur: nam ex lege Aquilia quod alius praestitit, <sup>3</sup> alium non relevat, cum sit poena. Celsus scribit, si alius mortifero vulnere percusserit, alius postea exanimaverit, priorem quidem non teneri quasi occiderit, sed quasi vulneraverit, quia ex alio vulnere periit, posteriorem teneri, quia occidit. quod et <sup>4</sup> Marcello videtur et est probabilius. Si plures trabem deiecerint et hominem oppresserint, aequae veteribus <sup>5</sup> placet omnes lege Aquilia teneri. Item cum eo, qui canem irritaverat et effecerat, ut aliquem morderet, quamvis eum non tenuit, Proculus respondit Aquiliae actionem esse: sed Iulianus eum demum Aquilia teneri ait, qui tenuit et effecit ut aliquem morderet: ceterum si non tenuit, in factum agendum. <sup>6</sup> Legis autem Aquiliae actio ero competit, hec est <sup>7</sup> domino. Si in eo homine, quem tibi redhibiturus essem, damnum iniuria datum esset, Iulianus ait legis Aquiliae actionem mihi competere meque, cum <sup>8</sup> coepero redhibere, tibi restitutum. Sed si servus bona fide alicui serviat, an ei competit Aquiliae actio? <sup>9</sup> et magis in factum actio erit danda. Eum, cui vestimenta commodata sunt, non posse, si scissa fuerint, lege Aquilia agere Iulianus ait, sed domino eam <sup>10</sup> competere. An fructuarius vel usuarius legis Aquiliae actionem haberet, Iulianus tractat: et ego puto melius utile iudicium ex hac causa dandum.

**12** “PAULUS libro decimo ad Sabinum” Sed et si proprietatis dominus vulneraverit servum vel occiderit, in quo usus fructus meus est, danda est mihi ad exemplum legis Aquiliae actio in eum pro portione, usus fructus, ut etiam ea pars anni in aestimationem veniat, qua nondum usus fructus meus fuit.

**13** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Liber homo suo nomine utilem Aquiliae habet actionem: directam enim non habet, quoniam dominus membrorum suorum nemo videtur. fugitivi autem nomine <sup>1</sup> dominus habet. Iulianus scribit, si homo liber bona fide mihi serviat, ipsum lege Aquilia mihi teneri. <sup>2</sup> Si servus hereditarius occidatur, quaeritur, quis Aquilia agat, cum dominus nullus sit huius servi. et ait Celsus legem domino damna salva esse voluisse; dominus ergo hereditas habebitur. quare <sup>3</sup> adita hereditate heres poterit experiri. Si servus legatus post aditam hereditatem sit occisus, competere legis Aquiliae actionem legatario, si non post mortem servi agnovit legatum: quod si repudiavit, consequens esse ait Iulianus dicere, heredi competere.

**14** “PAULUS libro vicesimo secundo ad edictum” Sed si ipse heres eum occiderit, dictum est dandam in eum legatario actionem.

**15** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Huic scripturae consequens est dicere, ut, si ante aditam hereditatem occidatur legatus servus, apud heredem remaneat Aquiliae actio per hereditatem acquisita. quod si vulneratus sit ante aditam hereditatem, in hereditate quidem actio remansit, sed cedere ea <sup>1</sup> legatario heredem oportet.

Si servus vulneratus mortifere postea ruina vel naufragio vel alio ictu maturius perierit, de occiso agi non posse, sed quasi de vulnerato, sed si manumissus vel alienatus ex vulnere periit, quasi de occiso agi posse Iulianus ait. haec ita tam varie, quia verum est eum a te occisum tunc cum vulnerabas, quod mortuo eo demum apparuit: at in superiore non est passa ruina apparere, an sit occisus. sed si vulneratum mortifere liberum et heredem esse iusseris, deinde decesserit, heredem eius agere Aquilia non posse,

**16** “MARCIANUS libro quarto regularum” quia in eum casum res pervenit, a quo incipere non potest.

**17** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Si dominus servum suum occiderit, bonae fidei possessori vel ei qui pignori non accepit in factum actione tenebitur.

**18** “PAULUS libro decimo ad Sabinum” Sed et si is qui pignori servum accepit occidit eum vel vulneravit, lege Aquilia et pigneraticia conveniri potest, sed alterutra contentus esse debet actor.

**19** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Sed si communem servum occiderit quis, Aquilia teneri eum Celsus ait: idem et si vulneraverit:

**20** “IDEM libro quadragesimo secundo ad Sabinum” scilicet pro ea parte, pro qua dominus est qui agat.

**21** “IDEM libro octavo decimo ad edictum” Ait lex: quanti is homo in eo anno plurimi fuisset. quae clausula aestimationem habet damni, quod <sup>1</sup> datum est. Annus autem retrorsus computatur, ex quo quis occisus est: quod si mortifere fuerit vulneratus et postea post longum intervallum mortuus sit, inde annum numerabimus secundum Iulianum, ex quo vulneratus est, licet Celsus contra scribit. <sup>2</sup> Sed utrum corpus eius solum aestimamus, quanti fuerit cum occideretur, an potius quanti interfuit nostra non esse occisum? et hoc iure utimur, ut eius quod interest fiat aestimatio.

**22** “PAULUS libro vicesimo secundo ad edictum” Proinde si servum occidisti, quem sub poena <sup>1</sup> tradendum promisi, utilitas venit in hoc iudicium. Item causae corpori cohaerentes aestimantur, si quis ex comoedis aut symphoniacis aut gemellis aut quadriga aut ex pari mularum unum vel unam occiderit: non solum enim perempti corporis aestimatio facienda est, sed et eius ratio haberi debet, quo cetera corpora depretiata sunt.

**23** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Inde Neratius scribit, si servus heres institutus occisus <sup>1</sup> sit, etiam hereditatis aestimationem venire. Iulianus ait si servus liber et heres esse iussus occisus fuerit, neque substitutum neque legitimum actione legis Aquiliae hereditatis aestimationem consecuturum, quae servo competere non potuit:

quae sententia vera est. Pretii igitur solummodo fieri aestimationem quia hoc interesse solum substituti videretur: ego autem puto nec pretii fieri aestimationem, quia, hoc interesse solum substituti videretur: ego autem puto nec pretii fieri aestimationem, quia si heres <sup>2</sup> esset, et liber esset. Idem Iulianus scribit, si institutus fuero sub condicione ‘si Stichum manumisero’ et Stichus sit occisus post mortem testatoris, in aestimationem etiam hereditatis pretium me consecuturum: propter occisionem enim defecit condicio: quod si vivo testatore occisus sit, hereditatis aestimationem cessare, quia retrorsum quanti plurimi fuit <sup>3</sup> inspicitur. Idem Iulianus scribit aestimationem hominis occisi ad id tempus referri, quo plurimi in eo anno fuit: et ideo et si pretioso pictori pollex fuerit praecisus et intra annum: quo praecideretur, fuerit occisus, posse eum Aquilia agere pretioque eo aestimandum, quanti fuit priusquam artem cum pollice amisisset. Sed et si servus, qui magnas fraudes in meis rationibus commiserat, fuerit occisus, de quo quaestionem habere destinaveram, ut fraudium participes eruerentur rectissime Labeo scribit tanti aestimandum, quanti mea intererat fraudes servi per eum commissas detegi, non quanti noxa eius servi valeat. Sed et si bonae frugis servus intra annum mutatis moribus occisus sit, pretium id aestimabitur, quanto valeret priusquam mores <sup>6</sup> mutaret. In summa omnia commoda, quae intra annum, quo interfectus est, pretiosorem servum facerent, haec accedere ad aestimationem eius dicendum <sup>7</sup> est. Si infans sit occisus nondum anniculus, verius est sufficere hanc actionem, ut aestimatio <sup>8</sup> referatur ad id tempus, quo intra annum vixit. Hanc actionem et heredi ceterisque successoribus dari constat: sed in heredem <vel ceteros> haec actio non dabitur, cum sit poenalis, nisi forte ex damno <sup>9</sup> locupletior heres factus sit. Si dolo servus occisus sit, et lege Cornelia agere dominum posse constat: et si lege Aquilia egerit, praeiudicium fieri Corneliae non <sup>10</sup> debet Haec actio adversus confitentem competit in simplum, adversus negantem in duplum. <sup>11</sup> Si quis hominem vivum falsum falso confiteatur occidisse et postea paratus sit ostendere hominem vivum esse, Iulianus scribit cessare Aquiliam, quamvis confessus sit se occidisse: hoc enim solum remittere actori confessoriam actionem, ne necesse habeat docere eum occidisse: ceterum occisum esse hominem a quocumque oportet.

**24** “PAULUS libro vicensimo secundo ad edictum” Hoc apertius est circa vulneratum hominem: nam si confessus sit vulnerasse nec sit vulneratus, aestimationem cuius vulneris faciemus? vel ad quod tempus recurramus?

**25** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Proinde si occisus quidem non sit, mortuus autem sit, magis <sup>1</sup> est, ut non teneatur in mortuo, licet fassus sit. Si procurator aut tutor aut curator aut quivis alius confiteatur aut absentem vulnerasse, confessoria in <sup>2</sup> eos utilis actio danda est. Notandum, quod in hac actione, quae adversus confitentem datur, iudex non rei iudicandae, sed aestimandae datur: nam nullae partes sunt iudicandi in confitentes.



**26** “PAULUS libro vicensimo secundo ad edictum” Puta enim, quod qui convenitur fateatur se occidisse et paratus sit aestimationem solvere, et adversarius magni litem aestimat.

**27** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” Si servus servum alienum subriperit et occiderit, et Iulianus et Celsus scribunt et furti et damni iniuriae **1** competere actionem. Si servus communis, id est meus et tuus, servum meum occiderit, legi Aquiliae locus est adversus te, si tua voluntate fecit. et ita Proculum existimasse Urseius refert. quod si non voluntate tua fecit, cessare noxalem actionem, ne sit in potestate servi, ut tibi soli serviat: quod puto **2** verum esse. Item si servus communis meus et tuus sit occisus a servo Titii, Celsus scribit alterum ex dominis agentem aut litis aestimationem consecuturum pro parte aut noxae dedi ei in solidum **3** oportere, quia haec res divisionem non recipit. Servi autem occidentis nomine dominus tenetur, is vero cui bona fide servit non tenetur. sed an is, qui servum in fuga habet, teneatur nomine eius Aquiliae actione, quaeritur: et ait Iulianus teneri <et est **14** verissimum>: cum et Marcellus consentit. <Huius legis secundum quidem capitulum in desuetudinem **5** abiit>. Tertio autem capite ait eadem lex Aquilia: ‘Ceterarum rerum praeter hominem et pecudem occisos si quis alteri damnum faxit, quod usserit fregerit ruperit iniuria, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum aes domino dare damnas **6** esto’. Si quis igitur non occiderit hominem vel pecudem, sed usserit fregerit ruperit, sine dubio ex his verbis legis agendum erit. proinde si facem servo **7** meo obieceris et eum adusseris, teneberis mihi. Item si arbustum meum vel villam meam incenderis, **8** Aquiliae actionem habebis. Si quis insulam voluerit meam exurere et ignis etiam ad vicini insulam pervenerit, Aquilia tenebitur etiam vicino: non minus etiam inquilinis tenebitur ob res eorum exustas. **9** Si fornicarius servus coloni ad fornacem obdormisset et villa fuerit exusta, Neratius scribit ex locato conventum praestare debere, si negligens in eligendis ministeriis fuit: ceterum si alius ignem subiecerit fornaci, alius negligenter custodierit, an tenebitur qui subiecerit? nam qui custodit, nihil fecit, qui recte ignem subiecit, non peccavit: quid ergo est? puto utilem competere actionem tam in eum qui ad fornacem obdormivit quam in eum qui negligenter custodit, nec quisquam dixerit in eo qui obdormivit, rem eum humanam et naturalem passum, cum deberet vel ignem extinguere vel ita **10** munire, ne evagetur. Si furnum secundum parietem communem haberes, an damni iniuria tenearis? et ait Proculus agi non posse, quia nec cum eo qui focum haberet: et ideo aequius puto in factum actionem dandam, scilicet si paries exustus sit: sin autem nondum mihi damnum dederis, sed ita ignem habeas, ut metuam, ne mihi damnum **11** des, damni infecti puto sufficere cautionem. Proculus ait, cum coloni servi villam exussissent, colonum vel ex locato vel lege Aquilia teneri, ita ut colonus possit servos noxae dedere, et si uno iudicio res esset iudicata, altero amplius non agendum. ‘sed haec ita, si culpa colonus careret: ceterum si noxios servos habuit, damni eum iniuria teneri, cur tales habuit. idem servandum et circa inquilinorum insulae personas scribit: quae sententia habet **12** rationem’. Si, cum apes meae ad tuas advolassent, tu eas exusseris, legis Aquiliae actionem **13** competere Celsus ait. Inquit lex ‘ruperit’. rupisse verbum fere omnes veteres sic intellexerunt **14** ‘corruperit’.

Et ideo Celsus quaerit, si lolium aut avenam in segetem alienam inieceris quo eam tu inquinare non solum quod vi aut clam dominum posse agere vel, si locatus fundus sit, colonum, sed et in factum <agendum, et si colonus eam exercuit, cavere eum debere amplius non agi, scilicet ne dominus amplius inquietet>: nam alia quaedam species damni est ipsum quid corrumpere et mutare, ut lex Aquilia locum habeat, alia nulla ipsius mutatione <sup>15</sup> applicare aliud, cuius molesta separatio sit. Cum eo plane, qui vinum spurcavit vel effudit vel acetum fecit vel alio modo vitiavit, agi posse Aquilia Celsus ait, quia etiam effusum et acetum factum corrupti <sup>16</sup> appellatione continentur. Et non negat fractum et ustum contineri corrupti appellatione, sed non esse novum, ut lex specialiter quibusdam enumeratis generale subiciat verbum, quo specialia <sup>17</sup> complectatur: quae sententia vera est. Rupisse eum utique accipiemus, qui vulneraverit, vel virgis vel loris vel pugnis cecidit, vel telo vel quo alio, ut scinderet alicui corpus, vel tumorem fecerit, sed ita demum, si damnum iniuria datum est: ceterum si nullo servum pretio viliozem deteriozemve fecerit, Aquilia cessat iniuriarumque erit agendum dumtaxat: Aquilia enim eas ruptiones, quae damna dant, persequitur ergo etsi pretio quidem non sit deterior servus factus, verum sumptus in salutem eius et sanitatem facti sunt, in haec mihi videri damnum <sup>18</sup> datum: atque ideoque lege Aquilia agi posse. Si quis vestimenta sciderit vel inquinaverit, Aquilia quasi <sup>19</sup> ruperit tenetur. Sed et si quis milium vel frumentum meum effuderit in flumen, sufficit Aquiliae <sup>20</sup> actio. Item si quis frumento harenam vel aliud quid immiscuit, ut difficilis separatio sit, quasi de <sup>21</sup> corrupto agi poterit. Si quis de manu mihi nummos excusserit, Sabinus existimat damni iniuriae esse actionem, si ita perierint, ne ad aliquem pervenirent, puta si in flumen vel in mare vel in cloacam ceciderunt: quod si ad aliquem pervenerunt, ope consilio furtum factum agendum, quod et antiquis placuit. idem etiam in factum dari posse <sup>22</sup> actionem sit. Si mulier pugno vel equa ictu a te percussa eiecerit, Brutus ait Aquilia teneri quasi <sup>23</sup> rupto. Et si mulum plus iusto oneraverit et <sup>24</sup> aliquid membri ruperit, Aquiliae locum fore. Si navem venaliciarum mercium perforasset, Aquiliae <sup>25</sup> actionem esse, quasi ruperit, Vivianus scribit Si olivam in maturam decerpserit vel segetem desecuerit in maturam vel vineas crudas, Aquilia tenebitur: quod si iam maturas, cessat Aquilia: nulla enim iniuria est, cum tibi etiam impensas donaverit, quae in collectionem huiusmodi fructuum impenduntur: sed si collecta haec interceperit, furti tenetur. Octavenus in uvis adicit, nisi, inquit in terram uvas proiecit, <sup>26</sup> ut effunderentur. Idem et in silva caedua scribit, ut, si immatura, Aquilia teneatur, quod si matura interceperit, furti teneri eum et arborum furtim <sup>27</sup> caesarum. Si salictum maturum ita, ne stirpes <sup>28</sup> laederes, tuleris, cessare Aquiliam. Et si puerum quis castraverit et pretiosiore fecerit Vivianus scribit cessare Aquiliam, sed iniuriarum erit agendum aut ex edicto aediliuri aut in quadruplum. <sup>29</sup> Si calicem diatretum faciendum dedisti, si quidem imperitia fregit, damni iniuria tenebitur. si vero non imperitia fregit, sed rimas habebat vitiosas, potest esse excusatus: et ideo plerumque artifices convenire solent, cum eiusmodi materiae dantur non periculo suo se facere, quae res ex locato tollit <sup>30</sup> actionem et Aquiliae. Si cum maritus uxori margaritas extricatas dedisset in usu eaque invito vel inscio viro perforasset, ut pertusis in linea uteretur, teneri eam lege Aquilia, sive divertit sive nupta est <sup>31</sup> adhuc. Si quis aedifici mei fores confregerit vel refregerit aut si ipsum aedificium diruit, lege <sup>32</sup> Aquilia tenetur.

Si quis aquae ductum meum diruerit, licet cementa mea sunt, quae diruta sunt, tamen quia terra mea non sit, qua aquam duco <sup>33</sup> <melius est dicere actionem utilem dandam>. Si ex plostro lapis ceciderit et quid ruperit vel fregerit, Aquiliae actione plostrarium teneri placet, si male <sup>34</sup> composuit lapides et ideo lapsi sunt. Si quis servum conductum ad mulum regendum commendaverit ei, mulum ille ad pollicem suum eum alligaverit de loro et mulus eruperit sic, ut et pollicem avelleret servo et se praecipitaret, Mela scribit, si pro perito imperitus locatus sit, ex conducto agendum cum domino ob mulum ruptum vel debilitatum, sed si ictu aut terrore mulus turbatus sit, tum dominum eius, id est muli, et servi cum eo qui turbavit habiturum legis Aquiliae actionem. mihi autem videtur et eo casu, quo ex locato actio est, competere etiam <sup>35</sup> Aquiliae. Item si tectori locaveris laccum vino plenum curandum et ille eum pertudit, ut vinum sit effusum, Labeo scribit in factum agendum.

**28** “PAULUS libro decimo ad Sabinum” Qui foveas ursorum cervorumque capiendorum causa faciunt, si in itineribus fecerunt eoque aliquid decidit factumque deterius est, lege Aquilia obligati sunt: at si in aliis <sup>1</sup> locis, ubi fieri solent, fecerunt, nihil tenentur. Haec tamen actio ex causa danda est, id est si neque denuntiatum est neque scierit aut providere potuerit: et multa huiusmodi deprehenduntur, quibus summovetur petitor, si evitare periculum poterit:

**29** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” quemadmodum si laqueos eo loci posuisses, quo ius ponendi non haberes, et pecus vicini in eos laqueos <sup>1</sup> incidisset. Si protectum meum, quod supra domum tuam nullo, iure habebam, reccidisses, posse me tecum damni iniuria agere Proculus scribit: debuisti enim mecum ius mihi non esse protectum habere agere: nec esse aequum damnum me pati reccisis a te meis tignis. aliud est dicendum ex rescripto imperatoris Severi, qui ei, per cuius domum traiectus erat aquae ductus citra servitutem, rescripsit iure suo posse eum intercidere, et merito, interest enim, quod hic in suo protexit, ille in alieno fecit. <sup>2</sup> Si navis tua inpacta in meam scapham damnum mihi dedit, quaesitum est, quae actio mihi competeret. et ait Proculus, si in potestate nautarum fuit, ne id accideret, et culpa eorum factum sit, lege Aquilia cum nautis agendum, quia parvi refert navem immittendo aut serraculum ad navem ducendo an tua manu damnum dederis, quia omnibus his modis per te damno adficior: sed si fune rupto aut cum a nullo regeretur navis incurrisset, cum domino <sup>3</sup> agendum non esse. Item Labeo scribit, si, cum vi ventorum navis impulsa esset in funes anchorarum alterius et nautae funes praecidissent, si nullo alio modo nisi praecisis funibus explicare se potuit, nullam actionem dandam. idemque Labeo et Proculus circa retia piscatorum, in quae navis piscatorum inciderat, aestimarunt. plane si culpa nautarum id factum esset, lege Aquilia agendum. sed ubi damni iniuria agitur ob retia, non piscium, qui ideo capti non sunt, fieri aestimationem, cum incertum fuerit, an caperentur. idemque et in venatoribus et in <sup>4</sup> aucupibus probandum. Si navis alteram contra se venientem obruisset, aut in gubernatorem aut in ducatorem actionem competere damni iniuriae Alfenus ait: sed si tanta vis navi facta sit, quae temperari non potuit, nullam in dominum dandam actionem:

sin autem culpa nautarum id factum sit, puto <sup>5</sup> Aquiliae sufficere. Si funem quis, quo religata navis erat, praeciderit, de nave quae periit in factum <sup>6</sup> agendum. Hac actione ex hoc legis capite de omnibus animalibus laesis, quae pecudes non sunt, agendum est, ut putas de cane: sed et de apro et leone <sup>7</sup> ceterisque feris et avibus idem erit dicendum. Magistratus municipales, si damnum iniuria dederint, posse Aquilia teneri. nam et cum pecudes aliquis pignori cepisset et fame eas necavisset, dum non patitur te eis cibaria adferre, in factum actio danda est. item si dum putat se ex lege capere pignus, non ex lege ceperit et res tritas corruptasque reddat, dicitur legem Aquilianam locum habere: quod dicendum est et si ex lege pignus cepit. si quid tamen magistratus adversus resistentem violentius fecerit, non tenebitur Aquilia: nam et cum pignori servum cepisset et ille se suspenderit, nulla datur actio. <sup>8</sup> Haec verba: ‘quanti in triginta diebus proximis fuit’, etsi non habent ‘plurimi’, sic tamen esse accipienda constat.

**30** “PAULUS libro vicensimo secundo ad edictum” Qui occidit adulterum prehensum servum alienum, <sup>1</sup> hac lege non tenebitur. Pignori datus servus si occisus sit, debitori actio competit. sed an et creditori danda sit utilis, quia potest interesse eius, quod debitor solvendo non sit aut quod litem tempore amisit, quaeritur. sed hic, iniquum est et domino et creditori eum teneri. nisi si quis putaverit nullam in ea re debitorem iniuriam passurum, cum prosit ei ad debiti quantitatem, et quod sit amplius consecuturus sit ab eo, vel ab initio in id, quod amplius sit quam in debito, debitori dandam actionem: et ideo in his casibus, in quibus creditori danda est actio propter inopiam debitoris vel quod litem amisit, creditor quidem usque ad modum debiti habebit Aquiliae actionem, ut prosit hoc debitori, ipsi autem debitori in id quod debitum excedit competit Aquiliae <sup>2</sup> actio. Si quis alienum vinum vel frumentum consumpserit, non videtur damnum iniuria dare ideoque <sup>3</sup> utilis danda est actio. In hac quoque actione, quae ex hoc capitulo oritur, dolus et culpa punitur: ideoque si quis in stipulam suam vel spinam comburendae eius causa ignem immiserit et ulterius evagatus et progressus ignis alienam segetem vel vineam laeseirit, requiramus, num imperitia eius aut negligentia id accidit. nam si die ventoso id fecit, culpa reus est (nam et qui occasionem praestat, damnum fecisse videtur): in eodem crimine est et qui non observabit, ne ignis longius procederet. at si omnia quae oportuit observavit vel subita vis venti <sup>4</sup> longius ignem produxit, caret culpa. Si vulneratus fuerit servus non mortifere, negligentia autem perierit, de vulnerato actio erit, non de occiso.

**31** “IDEM libro decimo ad Sabinum” Si putator ex arbore ramum cum deiceret vel machinarius hominem praetereuntem occidit, ita tenetur, si is in publicum decidat nec ille proclamavit, ut casus eius evitari possit. sed Mucius dixit, etiam si in privato idem accidisset, posse de culpa agi: culpam autem esse, quod cum a diligente provideri poterit, non esset provisum aut tum denuntiatum esset, cum periculum evitari non possit. secundum quam rationem non multum refert, per publicum an per privatum iter fieret, cum plerumque per privata loca vulgo iter fiat. quod si nullum iter erit, dolum dumtaxat praestare debet, ne immittat in eum, quem viderit transeuntem: nam culpa ab eo exigenda non est, cum divinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit.

**32** “GAIUS libro septimo ad edictum provinciale” Illud quaesitum est, an quod proconsul in furto observat quod a familia factum sit (id est ut non in singulos detur poenae persecutio, sed sufficeret id praestari, quod praestandum foret, si id furtum unus liber fecisset), debeat et in actione damni iniuriae observari. sed magis visum est idem esse observandum, et merito: cum enim circa furti actionem haec ratio sit, ne ex uno delicto tota familia dominus careat eaque ratio similiter et in actionem damni iniuriae interveniat, sequitur, ut idem debeat aestimari, praesertim cum interdum levior sit haec causa delicti veluti si culpa et non dolo damnum daretur. <sup>1</sup> Si idem eundem servum vulneraverit, postea deinde etiam occiderit, tenebitur et de vulnerato et de occiso: duo enim sunt delicta. aliter atque si quis uno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit: tunc enim una erit actio de occiso.

**33** “PAULUS libro secundo ad Plautium” Si servum meum occidisti, non affectiones aestimandas esse puto, veluti si filium tuum naturalem quis occiderit quem tu magno emptum velles, sed quanti omnibus valeret. Sextus quoque Pedius ait pretia rerum non ex affectione nec utilitate singulorum, sed communiter fungi: itaque eum, qui filium naturalem possidet, non eo locupletiores esse, quod eum plurimo, si alius possideret, redempturus fuit, nec illum, qui filium alienum possideat, tantum habere, quanti eum patri vendere posset. in lege enim Aquilia damnum consequimur: et amisisse dicemur, quod aut consequi <sup>1</sup> potuimus aut erogare cogimur. In damnis, quae lege Aquilia non tenentur, in factum datur actio.

**34** “MARCELLUS libro vicensimo primo digestorum” Titio et Seio Stichum legavit: deliberante Seio, cum Titius vindicasset legatum, Stichus occisus est: deinde Seius repudiavit legatum. perinde Titius agere possit hac si soli legatus esset,

**35** “ULPIANUS libro octavo decimo ad edictum” quia retro adcrevisse dominium ei videtur:

**36** “MARCELLUS libro vicensimo primo digestorum” nam sicut repudiante legatario legatum heredis est actio perinde ac si legatus non esset, ita huius actio <sup>1</sup> est ac si soli legatus esset. Si dominus servum, quem Titius mortifere vulneraverat, liberum et heredem esse iusserit eique postea Maevius extiterit heres, non habebit Maevius cum Titio legis Aquiliae actionem, scilicet secundum Sabini opinionem, qui putabat ad heredem actionem non transmitti, quae defuncto competere non potuit: nam sane absurdum accidit, ut heres pretium quasi occisi consequatur eius, cuius heres extitit. quod si ex parte eum dominus heredem cum libertate esse iusserit, coheres eius mortuo eo aget lege Aquilia.

**37** “IAVOLENUS libro quarto decimo ex Cassio” Liber homo si iussu alterius manu iniuriam dedit, actio legis Aquiliae cum eo est qui iussit, si modo ius imperandi habuit: quod si non habuit, cum eo <sup>1</sup> agendum est qui fecit.

Si quadrupes, cuius nomine actio esset cum domino, quod pauperiem fecisset, ab alio occisa est et cum eo lege Aquilia agitur, aestimatio non ad corpus quadrupedis, sed ad causam eius (in quo de pauperie actio est) referri debet et tanti damnandus est is qui occidit iudicio legis Aquiliae, quanti actoris interest noxae potius deditioe defungi quam litis aestimatione.

**38** “IDEM libro nono epistularum” Si eo tempore, quo tibi meus servus quem bona fide emisti serviebat, ipse a servo tuo vulneratus est, placuit omnimodo me tecum recte lege Aquilia experiri.

**39** “POMPONIUS libro septimo decimo ad Quintum Mucium” Quintus Mucius scribit: equa cum in alieno pasceretur in cogendo quod praegnas erat eiecit: quaerebatur, dominus eius possetne cum eo qui coegisset lege Aquilia agere, quia equam in iciendo ruperat. si percussisset aut consulto vehementius <sup>1</sup> egisset, visum est agere posse. “Pomponius”. Quamvis alienum pecus in agro suo quis deprehendit, sic illud expellere debet, quomodo si suum deprehendisset, quoniam si quid ex ea re damnum cepit, habet proprias actiones. itaque qui pecus alienum in agro suo deprehenderit, non iure id includit, nec agere illud aliter debet quam ut supra diximus quasi suum: sed vel abigere debet sine damno vel admonere dominum, ut suum reiciat.

**40** “PAULUS libro tertio ad edictum” In lege Aquilia, si deletum chirographum mihi esse dicam, in quo sub condicione mihi pecunia debita fuerit, et interim testibus quoque id probare possim, qui testes possunt non esse eo tempore, quo condicio extitit, et si summatim re exposita ad suspicionem iudicem adducam, debeam vincere: sed tunc condemnationis exactio competit, cum debiti condicio extiterit: quod si defecerit, condemnatio nullas vires habebit.

**41** “ULPIANUS libro quadragensimo primo ad Sabinum” Si quis testamentum deleverit, an damni iniuriae actio competat, videamus. et Marcellus libro quinto digestorum dubitans negat competere. quemadmodum enim, inquit, aestimatio inibitur? ego apud eum notavi in testatore quidem hoc esse verum, quia quod interest eius estimari non potest, verum tamen in herede vel legatariis diversum, quibus testamenta paene chirographa sunt. ibidem Marcellus scribit chirographo deleto competere legis Aquiliae actionem. sed et si quis tabulas testamenti apud se depositas deleverit vel pluribus praesentibus legerit, utilius est in factum et iniuriarum agi, si iniuriae faciendae <sup>1</sup> causa secreta iudiciorum publicavit. Interdum evenire Pomponius eleganter ait, ut quis tabulas delendo furti non teneatur, sed tantum damni iniuriae, ut puta si non animo furti faciendi, sed tantum damni dandi deleverit: cum facto enim etiam animum furis furtum exigit.

**42** “TULIANUS libro quadragesimo octavo digestorum” Qui tabulas testamenti depositas <aut alicuius rei instrumentum> ita delevit, ut legi non possit, depositi actione et ad exhibendum tenetur, quia corruptam rem restituerit aut exhibuerit. legis quoque Aquiliae actio ex eadem causa competit: corrupisse enim tabulas recte dicitur et qui eas interleverit.

**43** “POMPONIUS libro nono decimo ad Sabinum” Ob id, quod ante quam hereditatem adires damnum admissum in res hereditarias est, legis Aquiliae actionem habes, quod post mortem eius, cui heres sis, acciderit: dominum enim lex Aquilia appellat non utique eum, qui tunc fuerit, cum damnum daretur: nam isto modo ne ab eo quidem, cui heres quis erit, transire ad eum ea actio poterit: neque ob id, quod tum commissum fuerit, cum in hostium potestate esses, agere postliminio reversus poteris: et hoc aliter constitui sine magna captione postumorum liberorum, qui parentibus heredes erunt, non poterit. eadem dicemus et de arboribus eodem tempore furtim caesis. puto eadem dici posse etiam de hac actione quod vi aut clam, si modo quis aut prohibitus fecerit, aut apparuerit eum intellegere debuisse ab eis, ad quos ea hereditas pertineret, si rescissent, prohibitum iri.

**44** “ULPIANUS libro quadragesimo secundo ad Sabinum” In lege Aquilia et levissima culpa venit. <sup>1</sup> Quotiens sciente domino servus vulnerat vel occidit, Aquilia dominum teneri dubium non est.

**45** “PAULUS libro decimo ad Sabinum” Scientiam hic pro patientia accipimus, ut qui prohibere potuit <sup>1</sup> teneatur, si non fecerit. Lege Aquilia agi potest <sup>2</sup> et sanato vulnerato servo. Si meum servum, cum liberum putares, occideris, lege Aquilia teneberis. <sup>3</sup> Cum stramenta ardentia transilirent duo, concurrerunt amboque ceciderunt et alter flamma consumptus est: nihil eo nomine agi, si non intellegitur, <sup>4</sup> uter ab utro eversus sit. Qui, cum aliter tueri se non possent, damni culpam dederint, innoxii sunt: vim enim vi defendere omnes leges omniaque iura permittunt. sed si defendendi mei causa lapidem in adversarium misero, sed non eum, sed praetereuntem percussero, tenebor lege Aquilia: illum enim solum qui vim infert ferire conceditur, et hoc, si tuendi dumtaxat, non etiam ulciscendi causa factum <sup>5</sup> sit. Qui idoneum parietem sustulit, damni iniuria domino eius tenetur.

**46** “ULPIANUS libro quinquagesimo ad Sabinum” Si vulnerato servo lege Aquilia actum sit, postea mortuo ex eo vulnere agi lege Aquilia nihilo minus potest.

**47** “TULIANUS libro octagesimo sexto digestorum” Sed si priore iudicio aestimatione facta, postea mortuo servo, de occiso agere dominus instituerit, exceptione doli mali opposita compelletur, ut ex utroque iudicio nihil amplius consequatur, quam consequi deberet, si initio de occiso homine egisset.

**48** “PAULUS libro trigensimo nono ad edictum”, Si servum ante aditam hereditatem damnum in re hereditaria dederit et liber factus in ea re damnum det, utraque actione tenebitur, quia alterius et alterius facti hae res sunt.

**49** “ULPIANUS libro nono disputationum” Si quis fumo facto apes alienas fugaverit vel etiam necaverit, magis causam mortis praestitisse videtur quam <sup>1</sup> occidisse, et ideo in factum actione tenebitur. Quod dicitur damnum iniuria datum Aquilia persequi, sic erit accipiendum, ut videatur damnum iniuria datum, quod cum damno iniuriam attulerit: nisi magna vi cogente fuerit factum, ut Celsus scribit circa eum, qui incendi arcendi gratia vicinas aedes intercidit: nam hic scribit cessare legis Aquiliae actionem: iusto enim metu ductus, ne ad se ignis perveniret, vicinas aedes intercidit: et sive pervenit ignis sive ante extinctus est, existimat legis Aquiliae actionem cessare.

**50** “ULPIANUS libro sexto opinionum” Qui domum alienam invito domino demolit et eo loco balneas extruxit, praeter naturale ius, quod superficies ad dominum soli pertinet, etiam damni dati nomine actioni subicitur.

**51** “IULIANUS libro octagesimo sexto digestorum” Ita vulneratus est servus, ut eo ictu certum esset moriturum: medio deinde tempore heres institutus est et postea ab alio ictus decessit: quaero, an cum utroque de occiso lege Aquilia agi possit. respondit: occidisse dicitur vulgo quidem, qui mortis causam quolibet modo praebuit: sed lege Aquilia is demum teneri visus est, qui adhibita vi et quasi manu causam mortis praebuisset, tracta videlicet interpretatione vocis a caedendo et a caede. rursus Aquilia lege teneri existimati sunt non solum qui ita vulnerassent, ut confestim vita privarent, sed etiam hi, quorum ex vulnere certum esset aliquem vita excessurum. igitur mortiferum vulnus inflixerit eundemque alius ex intervallo ita percusserit, ut maturius interficeretur, quam ex priore vulnere moriturus fuerat, statuendum est utrumque eorum <sup>1</sup> lege Aquilia teneri. Idque est consequens auctoritati veterum, qui, cum a pluribus idem servus ita vulneratus esset, ut non appareret, cuius ictu perisset, <sup>2</sup> omnes lege Aquilia teneri iudicaverunt. Aestimatio autem perempti non eadem in utriusque persona fiet: nam qui prior vulneravit, tantum praestabit, quanto in anno proximo homo plurimi fuerit repetitis ex die vulneris trecentum sexaginta quinque diebus, posterior in id tenebitur, quanti homo plurimi venire poterit in anno proximo, quo vita excessit, in quo pretium quoque hereditatis erit. eiusdem ergo servi occisi nomine alius maiorem, alius minorem aestimationem praestabit, nec mirum, cum uterque eorum ex diversa causa et diversis temporibus occidisse hominem intellegatur. quod si quis absurde a nobis haec constitui putaverit, cogitet longe absurdus constitui neutrum lege Aquilia teneri aut alterum potius, cum neque impunita maleficia esse oporteat nec facile constitui possit, uter potius lege teneatur. multa autem iure civili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse innumerabilibus rebus probari potest: unum interim posuisse contentus ero. cum plures trabem alienam furandi causa sustulerint, quam singuli ferre non possent, furti actione omnes teneri existimantur, quamvis subtili ratione dici possit neminem eorum teneri, quia neminem verum sit eam sustulisse.

**52** “ALFENUS libro secundo digestorum” Si ex plagis servus mortuus esset neque id medici inscientia aut domini negligentia accidisset, recte de iniuria <sup>1</sup> occiso eo agitur. Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat:



quidam praeteriens eam sustulerat: tabernarius eum consecutus lucernam reposcebat et fugientem retinebat: ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolor inerat, verberare tabernarium coeperat, ut se mitteret: ex eo maiore rixa facta tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat: consulebat, num damnum iniuria non videtur dedisse, quoniam prior flagello percussus esset. respondi, nisi data opera effodisset oculum, non videri damnum iniuria fecisse, culpam enim penes eum, qui prior flagello percussit, residere: sed si ab eo non prior vapulasset, sed cum ei lucernam eripere vellet, rixatus esset, tabernarii culpa factum <sup>2</sup> videri. In clivo Capitolino duo plostra onusta mulae ducebant: prioris plostri muliones conversum plostrum sublevabant, quo facile mulae ducerent: inter superius plostrum cessim ire coepit et cum muliones, qui inter duo plostra fuerunt, e medio exissent, posterius plostrum a priore percussum retro redierat et puerum cuiusdam obtriverat: dominus pueri consulebat, cum quo se agere oporteret. respondi in causa ius esse positum: nam si muliones, qui superius plostrum sustinissent, sua sponte se subduxissent et ideo factum esset, ut mulae plostrum retinere non possint atque onere ipso retraherentur, cum domino mularum nullam esse actionem, cum hominibus, qui conversum plostrum sustinissent, lege Aquilia agi posse: nam nihilo minus eum damnum dare, qui quod sustineret mitteret sua voluntate, ut id aliquem feriret: veluti si quis asellum cum agitasset non retinisset, aequae si quis ex manu telum aut aliud quid immisisset, damnum iniuria daret. sed si mulae, quia aliquid reformidassent et muliones timore permoti, ne opprimerentur, plostrum reliquissent, cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. quod si neque mulae neque homines in causa essent, sed mulae retinere onus nequissent aut cum coniterentur [containerentur] lapsae concidissent et ideo plostrum cessim redisset atque hi quo conversum fuisset onus sustinere nequissent, neque cum domino mularum neque cum hominibus esse actionem. illud quidem certe, quoquo modo res se haberet, cum domino posteriorum mularum agi non posse, quoniam non sua sponte, sed percussae retro <sup>3</sup> redissent. Quidam boves vendidit ea lege, uti daret experiundos: emptoris servus in experiundo percussus ab altero bove cornu est: quaerebatur, num venditor emptori damnum praestare deberet. respondi, si emptor boves emptos, haberet, non debere praestare: sed si non haberet emptos, tum, si culpa hominis factum esset, ut a bove feriretur, non debere praestari, si vitio bovis, <sup>4</sup> debere. Cum pila complures luderent, quidam ex his servulum, cum pilam percipere conaretur, impulit, servus cecidit et crus fregit: quaerebatur, an dominus servuli lege Aquilia cum eo, cuius impulsu ceciderat, agere potest. respondi non posse, cum casu magis quam culpa videretur factum.

**53** “NERATIUS libro primo membranarum” Boves alienos in angustum locum coegisti eoque effectum est, ut deicerentur: datur in te ad exemplum legis Aquiliae in factum actio.

**54** “PAPINIANUS libro trigensimo septimo quaestionum” Legis Aquiliae debitori competit actio, cum reus stipulandi ante moram promissum animal vulneravit: idem est et si occiderit animal. quod si post moram promissoris qui stipulatus fuerat occidit, debitor quidem liberatur, lege autem Aquilia hoc casu non recte experietur: nam creditor ipse sibi potius quam alii iniuriam fecisse videtur.

**55** “PAULUS libro vicensimo secundo quaestionum” Stichum aut Pamphilum promisi Titio, cum Stichus esset decem milium, Pamphilus viginti: stipulator Stichum ante moram occidit: quaesitum est de actione legis Aquiliae, respondi: cum viliozem occidisse proponitur, in hunc tractatum nihilum differt ab extraneo creditor. quanti igitur fiet aestimatio, utrum decem milium, quanti fuit occisus, an quanti est, quem necesse habeo dare, id est quanti mea interest? et quid dicemus, si et Pamphilus decesserit sine mora? iam pretium Stichi minuetur, quoniam liberatus est promissor? et sufficet fuisse pluris cum occideretur vel intra annum. hac quidem ratione, etiamsi post mortem Pamphili intra annum occidatur, pluris videbitur fuisse.


**56** “IDEM libro secundo sententiarum” Mulier si in rem viri damnum dederit, pro tenore legis Aquiliae convenitur.

**57** “IAVOLENUS libro sexto ex posterioribus Labeonis” Equum tibi commodavi: in eo tu cum equitares et una complures equitarent, unus ex his irrui in equum teque deiecit et eo casu crura equi fracta sunt. Labeo negat tecum ullam actionem esse, sed si equitis culpa factum esset, cum equite: sane non cum equi domino agi posse. verum puto.

[D. 9. 2]

Cfr. “Corpus Iuris Civilis”, I, Berolini 1922<sup>14</sup>, 156-163.

Per ulteriori notizie cfr. ARANGIO-RUIZ V., “Aquila legge”, in Aa. Vv., “Enciclopedia italiana”, X, Milano 1931, 808-809.



<http://www.internetsv.info>

[email@internetsv.info](mailto:email@internetsv.info)